



Ro te ex totis totius mentis meæ viribus & visceribus, Sancte, sacrosancte, sanctissime Spiritus, ô sanctificator meus, ô illuminator, ô patrone meus, ô confortator & confirmator, accende me *flammâ* tui fervoris, ure me *fervore* tui ardoris, inflamma me *luce* tui caloris, ut urar *amore* tui, sed tuo; ut luceam tuâ *luce*; ut rutilem *candore* & *splendore* tuo, qui *cælestis* est, qui *perennis* est, qui solus est *solidus* atq; *eternus*. *Segnis* sum, tu me *ventila*, *aridus* sum, tu me *humecta*, *jaceo*, tu *suscita*, *dubius* erro, tu me *confirma*. Placeant, quæso, quæso tibi placeant mea meditata, commenta, suspiria & vocabula. Incisa sunt in *corde* meo, tu consigna in *libro* tuo; exarantur in *terrâ infirmitatis* meæ, stylo hominis; tu eadem consigna *digito cælesti*, *indice* tuæ *gratiæ*. De te dicit *Salvator* meus, super quo tu requiescis & manebis in æternum, *Paracletus Spiritus S.* quem mittet *Pater* in nomine meo, *Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quaecunq; dixi vobis.* Quis non nitatur te, quum sis *Paracletus*? quis non veneretur te, quum sis *Spiritus*? quis non imitetur, quum sis *Sanctus*? Advocamus te, quia nos advocas, dulcissimâ illâ præpositionis *παρὰ* relatione, tu *nobis*, *nos* te, *prior* posteriores, *postremos* *primus*. Vah secordes mortalium ac tantum Patronum! *Pupilli* sumus *miselli*, *orphani* *orbati*, *auxilio* & *consilio* *vidui*, *rudes* atq; *inconsiderati*, & quæ miseria est omnium *ἐξ ὀχλώτων*, *accusati* & *rei*. Tu verò *Patronus* es in consilijs *cautissimus*, in judicijs *justissimus*, in cunctis actionibus *fidelissimus*. Tu causam nostram agis *in cælis*, in judicio cælestis Patris, sub favore Filij, nostri Fratris, nobis heic adsistis *in terris*, suaviter *in ecclesiâ* alloqueris & efficacissimè consolaris. Profectò ex nobis ipsis, tanquam ex nobis, boni nihil cogitare possumus, tu verò verbo tuo nos *illuminas*, in corde istud *statuminas*, in labijs *efformas*, in eloquio *exornas*. Adeò non solliciti esse debemus, quid respondeamus *tyrannis* persecutoribus, quid regeramus *hereticis* deceptoribus, quid reponamus *falsis* *fratribus*, eapse enim horâ, quâ
opor-